

159 Dicitur rursus: Saltem sequi ex hac doctrina D. Thomae, infallibilem fore divinam gratiam assistentiam in homine integro, si faceret totum quod potest ex facultate naturae, & viribus liberi arbitrii: At hoc non est dicendum, cum enim gratia sit ordinis supernaturalis, nunquam potest habere infallibilem nexum cum actibus ordinis naturalis & inferioris, ut supra dicebamus: Ergo &c. Sequela Majoris probatur: Homini integro, non peccanti, infallibilis foret divina gratia assistentia: Ergo si in ejus potestate naturali constitutum erat non peccare, infallibilis erat divina gratia assistentia homini integro, facienti, quod potest ex facultate naturae.

160 Respondeo negando sequelam Majoris, ad cujus probationem dicitur, D. Thomam loqui de homine integro, non integritate pure naturali (in hac enim non fuit de facto creatus, nec si in illa conderetur, ei foret oblata gratia supernaturalis, cum hac oblatio elevationem hominis ad finem supernaturalem supponat) sed de homine integro integritate justitiae originalis, quae partem inferiorem superiori subiiciebat, & hanc Deo, nedum ut auctori naturae, sed etiam ut auctori gratiae. Ita Ferrarientis loco citato, ubi sic habet: *De naturalem potentiam intelligit S. Thomas liberi arbitrii potentiam, quae etiam voluntas dicitur, nullo peccato, nullaque inordinacione vitiatam, sicut erat in primo parate antequam peccaret.* Cum ergo in homine sic constituto, essent supernaturalia praecipua, ad quorum observantiam gratia egebat ut principio efficiente, & collectio naturalium, ad quorum impletionem indigebat etiam gratia, non ut principio efficiente; sed ut expediente, id est appetitum inferiorem frenante, ne contra rationem insurgeret, si quod etiam in homine sic constituto, non verificetur fore infallibilem gratiae assistentiam, si faceret totum quod potest ex facultate naturae, & viribus liberi arbitrii.

§. IX.

Solvuntur argumenta Molinae.

161 Objicit in primis Molina quaedam Scripturae testimonia, ad probandum dari in Deo legem, seu pactum dandi auxilia gratiae facienti quod in se est ex facultate naturae. Primum habetur Joann. 1. ubi dicitur: *Dedit eis (scilicet hominibus) potestatem filios Dei fieri:* hoc enim potestas non aliter potest intelligi data hominibus, nisi quatenus si faciant totum quod in ipsis est, praesto illis dedit Deus, ut fidem consequantur & gratiam. Praeterea ad id faciendum adducit illud primum ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Et illud Apocal. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso: id est (inquit Molina) sine ulla intermissione fiat Deus ad ostium cordis nostri, paratus nos flos juvare conatus, & consequenter homini bene conanti, divinae gratiae auxilium sibi non poterit.*

162 Ex his tamen testimoniis non recte colligitur dari in Deo legem illam quam Molina excogitavit. Non quidem ex primo, ut patet ex Augustino lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum c. 3. ubi ait: *Datur ergo potestas ut filii Dei fiant qui credunt in eum, cum hoc ipsum datur, ut credant in eum: qui potestas nisi datur a Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio.* Unde etiam acute observat Cajetanus super caput 1. Joann. quod Evangelista non dixit, dedit eis potestatem ut se facerent filios Dei, sed dedit eis potestatem filios Dei fieri: *Sicut enim (inquit) in naturalibus elementis est potestas non ut se moveant sursum aut deorsum, sed ut moveantur terra deorsum, & ignis sursum; ita Christi fidelibus data est potestas, non efficiendi se ipsos filios Dei (actio enim hac omnem creaturam facultatem excohit) sed ut fiant filii Dei: potestas autem hac donum gratiae est &c.*

163 Confirmatur: D. Joannes explicans quibus hac potestas conferatur, addit: *his qui credunt in nomine ejus.* Ergo auctore fidei illustrationem, hujusmodi potestas non datur, & consequenter ex illo testimonio non recte inferitur, facientem quod est in se per vires liberi arbitrii, habere in sua potestate, filium Dei fieri, per infallibilem divinam gratiae assistentiam.

164 Quod etiam ex secundo testimonio id maxime colligitur, in hunc modum ostenditur. Lex ista in sententia Molinae fundatur in meritis Christi: Ad voluntas antecedens salvandi omnes homines, in praedicto testimonio contenta, merita Christi anteverit, & competit Deo ut Creatori, & generali Provisori. Ergo ex tali voluntate, non recte colligitur dari ex meritis Christi in Deo legem, seu pactum dandi auxilia gratiae facienti quod in se est ex facultate naturae.

165 Tertium etiam testimonium dari in Deo talem legem non probat, sed solum indicat sincerum affectum, quo Deus sua bonitate affectus, auxilium suae gratiae omnibus generaliter offert: cum quo tamen stat, quod illud de facto aliquando denegat in poena praecedentis peccati, saltem originalis: ut ex Augustino docet D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. De quo infra disp. 5. art. 5. cum de effectibus reprobationis differemus.

Dices, Potestas ut filii Dei fiant, non solum datur hominibus in eum credentibus, sed etiam his quibus Evangelium praedicatum non est: alioquin illi essent extra statum, & viam salutis, quod de nullo homine viatore dici potest: At illis hac potestas non aliter competere potest, nisi quatenus si faciant quod possunt ex natura viribus, constituentur filii Dei: Ergo lex illa constituta est. Minor probatur: Illis talis potestas convenire non potest, quatenus si faciant quod possunt ex viribus gratiae, constituentur filii Dei, cum supponamus illos destitutos omni divinae gratiae auxilio: Ergo solum potest eis convenire praedicta potestas, quatenus si faciant quantum ex se possunt per vires naturae, praesto eis adierit auxilium praevientis gratiae.

Respondeo duplicem esse distinguendam potestatem in hominibus, ut fiant filii Dei adoptivi per gratiam: unam proximam & activam, per quam possunt proximam suam actibus se ad gratiam justificantem disponere; & de hac ait Augustinus: *Tunc dari, quando datur hominibus ut credant in Deum;* unde illa competit solis fidelibus. Alteram remotam, & quasi passivam: id est per quam homines sunt in potentia obedientiales, ut per divinam gratiam illustrati, constituantur complete potentes, ut se ad gratiam habendam disponant, & hanc potestatem asserimus omnibus hominibus esse communem, & insuper potestatem illam proximam, omnibus in communi esse oblatam, quatenus per omnibus mortuus est Christus, & pro omnibus sacramenta instituit; & omnibus patens est Ecclesia, non tamen omnibus in particulari applicata, sed quibusdam (saltem his qui infideles negative appellantur) in poenam praecedentis peccati, saltem originalis, denegatum, ut infra disp. 5. art. 5. latius exponemus. Unde in forma respondeo distinguendo Majorem: Potestas ut filii Dei fiant, datur etiam his quibus Evangelium praedicatum non est: Potestas remota & passiva, concedo. Potestas proxima & activa, distinguo: datur &c. si ly dari, idem significet ac offerri, concedo. Si idem denotet ac actu & de facto conferri, seu intrinsicè recipi, & applicari, nego. Quomodo autem cum hoc sit quod illi non sint extra statum salutis, & obligentur praecipio penitentiae, loco citato dicemus.

Objicies secundo celeberrimum locum Augustini 19. de civ. 168 c. 13. ubi sic habet: *Deus ergo naturarum omnium sapientissimus conditor, & justissimus ordinator, qui terrenorum ornamentorum maximum instruit mortale genus humanum, dedit hominibus quaedam bona hinc vicia congrua. &c. eo pacto aequissimo, ut quicumque moraliter callidus bonis recte usus fuerit, accipiat ampliora atque meliora. & ipsam immortalitatis pacem. Quo loco per bona ampliora, atque meliora, non possunt intelligi nisi dona gratiae, sicut per immortalitatis pacem, dona gloriae veniunt intelligenda.*

Respondeo hunc locum fuisse coram Clemente VIII. 169 die ultima Septembris anni 1602. a Patre Valentia objectum, eique respondisse Patrem Lemos, textum Augustini non fuisse ab eo fideliter relatum, sed corruptum, & adulteratum: non enim legitur in codice: *Bona ampliora atque meliora, & ipsam immortalitatis pacem, sed bona ampliora atque meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem, ac proinde particulam scilicet fuisse a Valentia mutatam, in particulam Et, quae variatio & corruptela, sensum Augustini omnino immutabat: Si enim loco particulae & ponatur particula scilicet, & legatur ipsam scilicet immortalitatis pacem, manifestum fit, Augustinum loqui tantum de bonis gloriae, & non de bonis gratiae, ac proinde indubitatum manet illud non loqui de usu temporalium, habito ex solis viribus naturae, quem certum est apud omnes Catholicos, non esse meritum vitae aeternae; sed de solo bono usu temporalium, habito ex auxilio gratiae, & procedente ex motione vel imperio caritatis; sub quo solum ratione potest esse meritum vitae aeternae.*

Objicies tertio: D. Thomas q. 14. de verit. art. 11. ad 1. 170 ait: *Si quis in sibi viciis contritus ductum naturalis rationis sequatur in appetitu boni & fuga mali, certissime tenendum est, quod ei Deus vel per inspirationem revelaret ea, quae ad credendum sunt necessaria, vel aliquem fidei Praedictorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Idem docet in solutione ad 2. & quaest. 24. de verit. art. 1. ad 2. & in 2. dist. 23. quaest. 1. art. 4. circa finem corporis, & in resp. ad 4. Ergo ex mente D. Thomae, homini facienti quod potest ex propriis viribus, est divina gratiae infallibilis assistentia.

Ad hoc argumentum, missa solutione eorum qui dicunt 171 D. Thomam mutasse sententiam, Respondeo in omnibus his testimoniis, ipsum loqui de faciente quod est in se, non ex viribus nude naturae, sed naturae auxiliatae per gratiam. Et quod haec sit vera & germana mens D. Thomae, suadet tripliciter. Primo quia ita clare se explicat, tum locis supra relatis, tum etiam in 2. sent. ad Anibal. dist. 28. art. 4. ad 3. his verbis: *Ad tertium dicendum quod potestas nostra nihil operari potest sine Deo qui operatur in eam natura & voluntate: unde cum dicimus aliquid esse*

in nobis, non excluditur Dei auxilium. Et quodlib. 1. art. 7. ad 1. *Per hoc (inquit) quod hominis est se preparare per liberum arbitrium, non excluditur necessitas auxilii divini, sicut nec per hoc quod ignis est calefacere, excluditur necessitas calefactus motus.* Secundo id aperte colligitur exemplo Cornelii, quod loco relato adducit S. Doctor: hunc enim non ex sola facultate naturae fecisse quod in se erat, sed speciali auxilio praevientis gratiae, constat ex ipso D. Thoma 2. 2. q. 10. art. 4. ad 3. cuius verba infra referemus. Denique id patet ex eo quod D. Thomas loquitur de homine non ponente impedimentum gratiae, per totius legis naturae observantiam, ad quam in statu naturae lapsus, non sufficere vires naturae, sed vires gratiae requiri, est constans Theologorum opinio, & expressa ipsius S. Doctoris sententia 1. 2. q. 109. art. 4.

Dices: Homo in sylvis nutritus, de quo agitur in primo 172 testimonio, supponitur impotens operari ex vi auxilii gratiae: At de illo ait D. Thomas, quod si faciat quod est in se, certissime illuminabitur de necessario credendis: Ergo debet intelligi de faciente quod in se est, non ex viribus gratiae, sed naturae. Major probatur: Talis homo supponitur destitutus illustratione fidei, quae est primum auxilium supernaturale sufficiens, & consequenter omnino alio auxilio gratiae sufficienti: Ergo supponitur impotens ad operandum in vi auxilii gratiae.

Respondeo negando Majorem, ad cujus probationem, 173 nego Antecedens, quamvis enim ille homo non haberet fidem explicitam de Deo ut auctore supernaturali, haberet tamen de illo fidem implicitam, ac proinde non esset cuncti auxilii supernaturalis destitutus. Ratio est, quia in statu elevationis naturae humanae ad ordinem supernaturalem: impossibile est quod de facto ponatur conversio in Deum ut auctorem naturalem, sine conversione in eum, ut auctorem supernaturalem, ut docetur in Tract. de gratiae, unde cum ille homo ductum rationis naturalis sequens in appetitu boni & fuga mali, esset in Deum ut auctorem naturae conversus, esset etiam, implicite factus conversus in illum ut auctorem supernaturalem, & Deus in tali causa aliquem fidei Praedictorem ad eum dirigeret, ut ei explicite proponeret mysterium Trinitatis & Incarnationis aliaque ad salutem necessaria; sicut misit Petrum ad Cornelium, & Paulum ad Macedones, vel per intermedium inspirationem illum immediate per se ipsum instrueret ac illuminaret. Solutio est D. Thomae 2. 2. q. 10. art. 4. ad 3. ubi loquens de Cornelio, dicit: *Ille infidelis non erat, atque in ejus operatio accepta non fuisset Deo, cui sine sibi multis, placere potest: habebat autem fidem implicitam in Deum, manifestatae Evangelii veritate, unde ut cum in sibi plenius instrueret: missus est ad eum Petrus.*

Quaerunt hic aliqui, an prima gratia, seu primus praedestinationis effectus, cadat, vel cadere possit sub merito operum procedentium a gratia? Verum quaelio ista propriam fidem habet 1. 2. quaest. 114. & 3. parte q. 2. ubi fuisse agitur, an principium meriti possit cadere sub merito?

174 Dubitari etiam potest, an purus homo possit esse causa meritoria praedestinationis alterius, quoad omnes suos effectus. Partem affirmativam tenet Vasquez, hic disp. 94. c. 5. cuius fundamentum est, quia idem est meriti praedestinationem quoad omnes suos effectus, & illam mereri quoad primum, cum ceteri ab illo dependant: Sed purus homo potest alteri mereri, vel impetrare primam praedestinationis effectum, scilicet primam vocationem, seu primam gratiam excitantem, ut patet in D. Stephano, qui suis orationibus obtinuit a Deo aliquas gratias praevinentes, quibus D. Paulus est conversus: unde dicit Augustinus, *si Stephanus nos orasset, Ecclesia Paulum non haberet:* Ergo purus homo potest esse causa meritoria praedestinationis alterius, quoad omnes suos effectus.

175 Neque valet si dicas orationem illam Stephani, cum fuerit medium conduens ad glorificationem Pauli, fuisse primum suae praedestinationis effectum. Nam contra hoc potest intari: Licet merita Christi quibus nostram praedestinationem promeruit, cum effectu conducat ad nostram glorificationem: non possunt tamen dici esse nostra praedestinationis effectus: Ergo similiter quamvis oratio S. Stephani fuerit medium conduens ad glorificationem Pauli non potest tamen esse, nec dici effectus praedestinationis illius.

176 Haec tamen opinio, ut dicit Suarez lib. 2. de causis praedestinationis cap. 24. non solum est falsa, sed etiam singularis & consequenter explosenda: unde dicendum est cum communi Theologorum sententia, purum hominem non posse mereri aut impetrare omnes effectus praedestinationis alterius, & consequenter nec esse causam praedestinationis illius.

177 Ratio fundamentalis hujus assertionis deducitur ex opposito fundamento Vasquezii. Nam quando unus homo impetrat, aut meretur alteri primam gratiam vocantem, cum reliquis: tunc primus effectus praedestinationis (D. Pauli v. 3. ut in eodem exemplo persistamus) non est

prima illa gratia inharens Paulo, sed oratio potius Div. Stephani, est unus ex effectibus, & prior, praedestinationis Pauli. Ergo talis oratio non potest esse causa primi effectus praedestinationis Pauli. Consequenter patet, Antecedens probatur. Quocumque beneficium & gratia conduens cum effectu ad glorificationem alicujus hominis, est effectus praedestinationis illius, qui est medium ad illam, ut dicemus disputatione sequenti: Sed oratio v. g. D. Stephani, fuit medium conduens ad salutem & glorificationem Pauli. Ergo fuit effectus praedestinationis illius. Ex quo deducitur, potius esse dicendum, orationem Stephani pro Paulo ortum habuisse & emanasse a praedestinatione Pauli, quam e contra quod oratio Stephani meruerit aut impetraverit praedestinationem Pauli. Unde patet responso ad fundamentum Vasquezii.

Ad instantiam, nego paritatem. Ratio discriminis est, 178 quia merita Christi Domini, cum pertinent ad gratiam unionis & non adoptionis, & sint ordinis hypostatice, qui in infinitum ordinem gratiae excedit, non possunt esse effectus nostrae praedestinationis, qui non extenditur ad dona tam alta, sed tantum ad illa quibus proximae, vel remote adoptantur in filios Dei, immo potius e contra omnes effectus praedestinationis nostrae, sunt effectus praedestinationis Christi, quae est causa nostra tripliciter. Primo in genere causae finalis, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Secundo in genere causae formalis, seu exemplaris, quia ut dicit idem Paulus ad Roman. 8. *Quis praeservavit, & praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Unde Augustinus c. 13. de praedestinatione Sancti vocat Christum, *praclarissimum lumen praedestinationis & gratiae.* Tertio in genere causae efficientis, saltem moralis & merito-rie, quia suis actionibus & passionibus nobis promeruit omnes praedestinationis effectus: iuxta illud Apostoli ad Ephes. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, in caelestibus, in Christo: id est per Christum, & ejus merita* Sed de hoc fise in Tractatu de Incarn. disp. 24. art. 2.

DISPUTATIO III.

De effectibus praedestinationis.

Consideratis causis divinae praedestinationis, consequens est ut ejus effectus investigemus, & declaremus quoniam sint ab ea elicti, quoniam vero imperati?

ARTICULUS I.

Utrum glorificatio, & justificatio, & quaecumque efficiat vocatio, sint effectus praedestinationis?

Agimus hic solum de justificatione per peccatum non interrupta, & de vocatione efficaci. An vero gratia per peccatum interrupta, & vocationes inefficaces, inter effectus praedestinationis computari debeant, dicemus articulo sequenti.

§. I.

Quibusdam praemissae referuntur sententiae.

179 Notandum primo, Quod sicut duo solent distingui genera actuum caritatis, quorum aliqui dicuntur elicti, & immediate ab illa procedentes, ut amor Dei, & proximi. Alii vocantur imperati, qui scilicet immediate ab illa virtute eliciuntur, & a caritate solum imperantur, ac in finem supernaturalem diriguntur & ordinantur: ut jejulare, vel martyrium pati propter Deum. Ita etiam duo distingui debent genera effectuum praedestinationis: quidam sunt immediate, & quasi elictive ab ipsa praedestinatione; alii vero mediate, & quasi imperitive, quia sunt ab alia providentia, naturali scilicet, aut etiam supernaturali generali; ordinantur tamen per praedestinationem ad ejus proprium finem, vitam nimirum aeternam. Sicut enim gratia utitur aetate ut sibi inferiori & subdita, ita & praedestinatio imperat naturali providentiae, & dirigit illam ad suum finem.

180 Notandum secundo, Tres condiciones esse requisitas, & sufficientes, ut aliquid sit effectus praedestinationis. Prima, quod causetur a Deo. Secunda, quod causetur ex intentione efficaci dandi gloriam. Tertia, quod de facto conducat ad ejus consecutionem. Quod prima conditio requiratur, patet: nam tam praedestinatio, quam ejus executio active sumpta, est in Deo: Ergo effectus praedestinationis est effectus Dei. Et per hoc excluduntur peccata a ratione effectus praedestinationis, quia illa non possunt a Deo causari, sed sunt extra sphaeram activitatis illius. Quod etiam necessaria sit secunda conditio, non minus est evidens: quia prima intentio effectus dandi gloriam, est radix & causa electionis, & executionis me-
diorum,

dicuntur, & omnium quæ ad negotium prædestinationis concurrunt: Ergo omnia media prædestinationis procedunt ex hac efficaci intentione, prædestinatio enim solum ordinat & exequitur media, ex vi illius intentionis exegit: Ex hac conditione sequitur tertia, si enim ex intentione efficaci dandi gloriam, provenire debent omnes effectus prædestinationis, illi ad gloriæ consecutionem cum effectu debent conducere; voluntas enim Dei efficaciter frustrari non potest. Addunt aliqui quartam conditionem, quod scilicet id quod dicitur effectus prædestinationis, sit per Christum, vel detur ex meritis Christi, quia ut dicitur Actor. 4. Non aliud nomen est sub celo datum hominibus, in quo sperent nos salvos fieri. Et Paulus ad Ephes. 1. Prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum. Ceterum hæc conditio non est per se intrinsece requisita ad prædestinationem absolute, sed ut de facto sit in nobis: nam gratia collata bonis Angelis in primo instanti creationis, fuit effectus prædestinationis illorum, & tamen, juxta probabiliorē sententiam, non fuit ex meritis Christi, eo quod illi non fuerint redempti, & gratia ex meritis Christi concessa, redemptiva, & sanativa fuit. Et si status innocentie durasset, adhuc homines fuissent prædestinati; & tamen Filius Dei non fuisset homo, ut ex Tractatu de Incarnatione suppono.

Hac generali doctrina præsupposita ad effectus prædestinationis in particulari descendimus, & querimus utrum glorificatio, & justificatio, & quæcumque efficacis vocatio, sint effectus prædestinationis? in qua difficultate varia sunt Auctorum placita. Durandus enim in 1. dist. 41. q. 2. docet solam gratiam esse effectum prædestinationis, non gloriam. Alii e contra solam gloriam dixerunt esse effectum prædestinationis, non vero gratiam, quod tribuitur Gabrieli, Othamo, & aliis. Alii autem existimant, solam gloriam, & primam gratiam justificantem, inter prædestinationis effectus contineri, unde ab illis excludunt dispositiones ad gratiam, & vocationes etiam efficaces. Ita D. Bonaventura art. 1. q. 1.

Ceterum communis sententia inter Theologos est, hæc tria inter præcipuos prædestinationis effectus debere computari: hos enim videtur enumerare Apostolus ad Rom. 8. dicens: Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, hos & glorificavit. Nec movere debet quod Paulus loquitur de præterito, vocavit, justificavit, glorificavit: id enim ponitur (inquit S. Thom. in e. 8. ad Rom. lect. 6.) vel propter certitudinem futuri, vel quia quod in quibusdam est futurum, in aliis est completum. Unde fit

§. II.

Conclusio affirmativa statuitur.

Deo igitur: Glorificatio, justificatio, & quæcumque efficacis vocatio, sunt effectus prædestinationis.

Probatur primo conclusio quoad omnes partes. Prædestinatio est preparatio mediæ efficaciter interuentium finis consecutionem, & consequenter causat media, & ad finem extenditur, sicut medicus applicans efficaciam remedia salutis, non solum causat media, sed etiam sanitatem qua est finis: At vocationes efficaces, & justificatio non interrupta, sunt media efficaciter interuentia consecutionem finis, & glorificatio est finis obtinendus: Ergo ad omnia hæc extenditur prædestinationis causalitas.

Probatur secundo conclusio, quantum ad primam partem, contra Durandum. Glorificatio, seu consecutio gloriæ, est aliquis effectus de novo in rerum natura a Deo factus: Ergo & provolvis, siquidem Deus nullum effectum facit nisi providentia sua. Vel ergo ille effectus est ex providentia generali, seu communi reprobis & prædestinati, vel tantum prædestinatorum propria? Primum dici non potest, cum reprobi cadant a gloria, nec illam consequantur, & in hoc præcise a prædestinatis distinguantur: Ergo debet esse a providentia speciali prædestinatorum, seu ab ipsa prædestinatione, & sic est effectus ejus. Unde D. Thomas hic art. 3. ad 2. ait: Prædestinatio est causa ejus quod expectatur in futura vita in prædestinatis, scilicet gloriæ, & ejus quod percipitur in presentibus, scilicet gratiæ.

Tertio secunda & tertia pars conclusionis, contra Gabrielem, & D. Bonaventuram si fieri potest, ex absurditate & inconvenienti quod sequitur ex illorum sententia; scilicet dari causam meritoriam, vel saltem dispositivam primi effectus prædestinationis, quod a Theologis, ut Pelagianorum vel Semipelagianorum error, communiter reprobat, ut constat ex dictis disputatione precedenti. Sequela probatur: Juxta communem Theologorum sententiam, nostris bonis operibus a gratia profectis, gloriam de condigno promeremur: Ergo si illa sit primus, immo & unicus prædestinationis effectus, ut docet Gabriel, manifestum est dari in nobis causam meritoriam, non solum de condigno, sed etiam de condigno, primi effectus prædestinationis. Idem inconveniens sequitur ex senten-

tia D. Bonaventuræ: si enim sola gloria & gratia justificans sit prædestinationis effectus, dabitur ex parte nostra causa saltem dispositiva ad primum effectum prædestinationis, cum ad gratiam justificantem actus nostri saltem dispositivæ concurrant, ut dicunt Theologi in materia de justificatione. Ut ergo hoc vitentur inconvenientia, dicendum est, nec solam gloriam, nec solam gratiam justificantem, sed etiam primam gratiam auxiliantem, & primam vocationem efficacem, quarum nulla datur ex parte nostri causæ meritoria, vel dispositiva, ut ostendimus disputatione precedenti, inter prædestinationis effectus annumerari.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Obijciens primo cum Durando, Prædestinatio non est de fine, sed de mediis quibus pervenitur ad finem, unde ab Augustino definitur: Præscientia & preparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Sed glorificatio finis est, & non medium: Ergo non est prædestinationis effectus.

Confirmatur primo: Prædestinatio supponit efficacem electionem ad gloriam, illa enim, ut supra disp. 1. art. 3. ostendimus, consistit formaliter in actu imperii, qui electionem efficacem supponit: At ex vi hujus electionis efficacis constituitur beatitudo futura: Ergo actus in quo essentia prædestinationis consistit, gloriam ut futuram supponit, & consequenter illam non causat.

Confirmatur secundo: Omnis effectus prædestinationis debet esse objectum illius: Sed glorificatio non est objectum prædestinationis: Ergo nec ejus effectus. Probatur Minor: Objectum prædestinationis debet esse objectum electionis, cum objectum electionis, ut ab intentione distincta, sit medium & non finis; beatitudo autem finis sit, & non medium: Ergo glorificatio non est objectum prædestinationis.

Ad objectionem, relictis variis solutionibus, respondeo communi solutione, quam in prima probatione conclusionis infruavi, prædestinationem immediate esse de mediis, quæ tamen hæc in executione efficaciter inferunt finem, mediante esse de fine.

Ad primam confirmationem, concessa Majori, distingo Minorem, illamque concedo de futuratione inchoata, & in ordine intentionis: scilicet autem de futuratione completa, & in ordine executionis: cum quo bene stat, quod prædestinatio, quæ essentialiter in actu imperii consistit, posterior sit electione ad gloriam, & concurrat ad dandam illi futurationem completam, ut supra disp. 1. art. 3. iusè declaravimus.

Ad secundam, concessa Majori, distingo Minorem. Non est objectum prædestinationis, immediatum, concedo: mediatum, nego. Ad impugnationem: concessa Majori, similiter distingo Minorem. Beatitudo non est objectum electionis, immediatum, concedo; mediatum, nego. Cum enim finis in executione causatur a mediis, quæ sunt immediatum electionis objectum, est objectum electionis, saltem mediatum, non quidem prout est causa finalis, seu prout est in intentione, sed prout est terminus, & in executione.

Obijciens secundo cum Gabrielo & D. Bonaventura: Effectus prædestinationis nequeunt esse reprobis & prædestinatis communes: Sed justificatio & vocatio sunt communes electis & reprobis, cum multoties istis concedantur, sicut & illis: Ergo non sunt prædestinationis effectus.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem: Licet enim vocatio & justificatio possint in reprobis inveniri, non tamen eodem modo quo in prædestinatis; quia in his inveniantur cum ordinatione efficaci, & perseverantia usque ad consecutionem gloriæ, in reprobis sine illa, unde non eodem modo se habent.

Ex dictis in hac conclusione colliges, amorem beatificum, gaudia accidentalia, & omnia quæ beatitudinem & gloriam consequuntur, esse effectus prædestinationis: cum omnia hæc ad eandem providentiam pertineant, ad quam pertinent gratia, & gloria, sive ut proprietates necessario consecute, sive ut accidentia exornantia.

ARTICULUS II.

An gratia per peccatum interrupta, & vocationes inefficaces, inter effectus prædestinationis computari debeant?

§. I.

Resolvitur prima pars quasi.

Deo primo, Gratia interrupta per peccatum est effectus prædestinationis, non solum ut recuperata per penitentiam, sed etiam ut primo collata.

Hanc

Hanc statuo contra Vasquez, & paucos Recentiores, ipsam secutos. Et quidem quod prout recuperata, sit effectus prædestinationis, non negat Vasquez, loquendo de recuperatione nunquam interrumpenda, nam si recuperata iterum amittatur; idem est dicendum de illa, ac de primo collata, scilicet interrupta. Quod autem ut primo collata sit effectus prædestinationis, sic potest fieri. Gratia interrupta quatenus primo collata, cum effectu conducit ad finem prædestinationis, & influit in beatitudinem: Ergo est effectus prædestinationis. Consequenter patet, Antecedens probatur. Propter illam gratiam quæ peccatum præcessit, datur prædestinato novus gradus gratiæ, ultra gradum correspondentem gratiæ in qua resurgit, vel saltem datur idem gradus gloriæ novo titulo, ut abstrahamus ab opinionibus, sicut docent Theologi in Tractatu de penitentia, quando agunt de revivificatione meritorum. Ergo illa gratia quæ præcessit, ex eodem ipso iure quod ante lapsum habuit, influit in beatitudinem, & ad finem prædestinationis conducit.

Confirmatur hæc explicatur hoc: Decibus hominibus existentibus æqualibus in constitutione, & gratia, illi per se correspondente, datur major gloria illi qui ante lapsum habuit majorem gratiam: Ergo gloria non solum est effectus constitutionis, & gratiæ illi correspondentis, sed etiam gratiæ per peccatum interruptæ: contritio enim se solam habet ut removens prohibens, respectu antecedentis gratiæ & non ut ratio influens in gloriam, illi correspondentem, utque adeo gratiæ, non solum ut restituta, sed etiam secundum se, influit in gloriam, & consequenter est prædestinationis effectus.

Confirmatur amplius. Intentio Dei perducendi hunc electum tantum gradum gloriæ, non consequitur effectum absque illa gratia quæ peccatum antecessit, quia nisi præcessisset, non daretur homini penitentia tanta gloria: Ergo prior illa gratia cum effectu conducit ut mediatur ad gloriam: Ergo est effectus rationis magis constantis ex solutione argumentorum quæ solent fieri in contrarium.

Obijciens ergo primo: Gratia primo collata, & per peccatum umbrata, non valet ad gloriæ consecutionem, nisi sit per penitentiam restituta, non solum ratione contritionis & penitentia, merita per peccatum mortificata reviviscunt: Ergo gratia interrupta per peccatum, non est effectus prædestinationis, nisi ut recuperata per penitentiam, non vero ut primo collata.

Respondeo distinguendo Antecedens. Si particula si, significet conditionem requisitam, concedo Antecedens. Si reduplicet rationem formalem, nego Antecedens, & consequentiam.

Explicatur: Sicut propositio, ignis non calefacit, nisi sit applicatus, est vera, si particula nisi reduplicet conditionem requisitam ad agendum, licet autem si reduplicet rationem formalem agendi, quæ non est applicatio, sed ipse calor. Ita etiam cum dicitur quod gratia interrupta per peccatum, non valet ad consecutionem vel augmentum gloriæ, nisi ut per penitentiam restituta; verum est si sit ut denotet conditionem requisitam, sine qua talis gratia non influit in gloriam; scilicet autem si exprimat & significet rationem formalem talis valoris & influxus: sic enim non est a penitentia, quæ se habet tantum ut removens prohibens, sed a iure & proportione quam habet gratia succedens respectu gloriæ.

Obijciens secundo: Gratia causata per primam justificationem quæ antecessit peccatum, destructa fuit per peccatum, quantum ad suam numericam entitatem, & postea per aliam actionem novam & distinctam a prima, reproductur, non eadem numero, sed eadem secundum speciem in eadem quantitate. Ergo prima illa gratia, quæ peccatum antecessit, non influit in gloriam, nec consequenter est prædestinationis effectus, sed illa solum quæ per penitentiam restituitur.

Respondeo quod licet gratia causata per primam justificationem, non sit eadem numero physice & entitative cum ea quæ reparatur, bene tamen moraliter & æquivalenter. Est enim eadem gratia, postea succedit alia entitative distincta, eandem tamen gloriam respicit, & idem habet ius ad illam, & sic censetur eadem numero gratia formaliter & in esse gratiæ, quamvis materialiter & in esse entis sit diversa. Sicut quævis superfluitas æris ambulans aliquam turrim, continet, & variatur, censetur tamen idem locus formaliter, quia alie superfluitates advenientes, habent eandem correspondentiam & distantiam ad polos & centrum mundi, quam habebant precedenti, ut explicari solet in Physica. Unde quamvis talis gratia non possit physice in gloriam influere, quia non redit physice secundum suam entitatem, potest moraliter in eam influere: ex hoc enim quod illa manet in acceptione divina, postea, ablato impedimento, datur prædestinato aliquis gradus gloriæ illi correspondentis, vel ut alii volunt, idem gradus gloriæ novo titulo, seu gloria eadem accidentaliter, quod sufficit ut aliquid sit prædestinationis effectus, nam glorificatio corporis, estque do-

tes, & revelationes extra verbum, sunt prædestinationis effectus, & tamen ad gloriam accidentalem pertinent.

Obijciens tertio: Effectus prædestinationis debet contineri, & conjungi cum finali perseverantia, & cum gloria, quæ sunt ultimi & præcipui ejus effectus: Sed gratia per peccatum interrupta, cum illis non continuatur nec conjungitur, ut patet: Ergo non est prædestinationis effectus.

Respondeo, quod ut aliquid sit prædestinationis effectus, debet continuari & conjungi cum finali perseverantia, & cum gloria, vel secundum continuationem physicam in existendo, vel secundum continuationem moralem, & secundum permanentiam illorum in divina acceptione; quia hæc continuatio per peccatum non interruptur; quia culpa non tollit voluntatem remunerandi merita, & conferendi gloriam, sublato impedimento.

Obijciens ultimo: Est gratia Adami in statu innocentie, & alicuius gradus gloriæ correspondentis, & consequenter ad finem prædestinationis conducit, illa tamen non inter effectus prædestinationis, ut primo collata, sed solum per penitentiam reparata. Ergo simpliciter quævis gratia hominum in hoc statu, per peccatum interrupta, quatenus primo collata, influit in beatitudinem, & ad finem prædestinationis conducit, non erit effectus prædestinationis, nisi ut reparata per penitentiam.

Respondeo concessa Antecedente, de quo disputant Theologi in Tractatu de Incarnatione, negando Consequentiam & pariter. Ratio differuntis est, quia cum gratia status innocentie non præsupponitur præscientiam & prædestinationem Christi, nec ex ejus meritis data fuerit; ex intentione efficaci glorificandi Adamum (quæ intentio fuit posterior Christi prædestinatione) impargata non fuit: unde ex vi prime infusions, ad finalem perseverantiam ordinem non dicitur, sed solum ex vi reparacionis factæ per Christum. In nostra autem gratia, quatenus primo collata, oppositum contingit cum enim prima illius collatio sit ex meritis Christi, estque prædestinationem supponat, ex intentione gloriæ in electis preparatur & imperatur, & ex vi prime infusions ordinem ad gloriam & ad finalem perseverantiam importat.

§. II.

Explicatur alia difficultas.

Deo secundo: Etiam vocationes inefficaces in electis esse prædestinationis effectus, non elicitos, sed imperatos. Est etiam contra Vaso, & Valentiam aliosque Recentiores.

Probatur breviter: Licet vocationes inefficaces in prædestinatis non conducant ad gloriam immediate, mediate tamen & dispositive ad illam conducunt, quatenus paulatim emolliunt cor hominis, ut tandem Deo vocanti respondeat: vel objective, quatenus in memoria recte excitant ad gratiarum actionem, & ad humilitatem, propter resistentiam præteritam: Ergo preparantur a Deo ex intentione gloriæ, & consequenter sunt effectus prædestinationis. Utraque Consequencia patet ex dictis, Antecedens vero probatur. Primo quia id sepe contingere, experientia testatur, quod scilicet Deo quis gratia agit propter vocationes illas quibus non respondit: ut constat ex Augusti. lib. 6. Confess. cap. 11. & lib. 8. cap. 9. ubi memorans vocationes divinas quibus multoties resistens, excitatur ad penitentiam, humilitatem, & gratiarum actionem. Et ex Bernardo serm. 4. Dominica 6. post Pentecosten, ubi exclamatur: Ego peccabam, & tu dissimulabas, Non continebam a seculis, & tu a verbis, absque penitentia, Prædestinatus ego multo tempore iniquitatem meam, & tu Deo hinc pietatem tuam.

Secundo idem Antecedens probatur ex illis verbis Pauli ad Rom. 8. Diligentius Deum omnis cooperantur in bonum, quod ut docet glossa ex Augustino sumpta, etiam ad peccata prædestinatorum extenditur: Ergo cum vocationes inefficaces ad bonum prædestinatorum aliquo ex prædictis modis conducant, sunt prædestinationis effectus.

Confirmatur: Permissio peccati quæ in denegatione gratiæ efficacis supposita sufficiente consistit, est prædestinationis effectus, quatenus ad excitandam humilitatem conducit, & quatenus ex illa movetur homo ad cognoscendam infirmitatem propriam, indigentiam uberioris & fortioris auxilii, ut ostendimus art. 5. Ergo similiter cum vocationes inefficaces in prædestinatis, ad eodem finem conducant, illæ sunt prædestinationis effectus. Quod autem non sint effectus ab illa immediate elicit, sed solum imperati, patet, quia vocationes inefficaces, & auxilia insufficientia, pertinent ad providentiam generalem ordinis supernaturalis, & ordinantur per prædestinationem ad ejus proprium finem, saltem scilicet electorum, modo antea explicato.

Obijciens primo: D. Thom. ad Rom. 8. lect. 6. exponens hæc verba Apostoli. Quos prædestinavit, hos & vocavit, ait: Hæc vocatio est efficax in prædestinatis: Ergo ex Div. Thom.

Thom. sola vocatio efficax, est effectus predestinationis. Idem colligitur ex Augul. de predest. Sanct. cap. 16. ubi dicit: *Deus vocat predestinatos, sed non ex vocacione qua vocati sunt qui voluerunt venire ad nuptias, que, ut patet, est vocatio inefficax.* Et lib. 1. ad Simplic. q. 2. & alibi passim docet quod sola vocatio est effectus predestinationis, quod est vocatio secundum propositum, vel ut loquitur Fulgent. lib. 1. ad Monimum, *qua est propositio congrua.* Sed vocatio congrua, & secundum propositum, est efficax: Ergo idem quod prius.

30. Respondeo primo: Quod quando Sancti Patres docent illam vocacionem efficacem, vel congruam, aut secundum propositum, esse predestinationis effectum, loquuntur de effectibus predestinationis elicitis, & immediate ab illa procedentibus, non vero de imperatis & mediatis, unde hęc testimonia suadent quidem secundam partem nostre conclusionis, sed non sufficienter contra primam.

31. Secundo responderi potest, SS. Patres loqui de vocacione efficaci, vel simpliciter, & per ordinem ad actum perfectum, conversionem scilicet peccatoris ad quam datur: vel de vocacione efficaci secundum quid, & per ordinem ad actus imperfectos, qui paulatim emolliunt cor hominis, illudque disponunt ad conversionem perfectam, per ordinem ad quos potest dici congrua, vel secundum propositum.

32. Obijci secundo: Communia electis & reprobis non sunt predestinationis effectus: Sed vocaciones inefficaces, & auxilia insufficientia, sunt communia electis & reprobis, & utrique indifferenter conceduntur: Ergo non sunt effectus predestinationis.

Confirmatur: Vocaciones inefficaces, & auxilia insufficientia, sunt a providentia generali ordinis supernaturalis, & a voluntate Dei antecedente: Ergo non sunt effectus predestinationis. Consequentia videtur manifesta, effectus enim predestinationis, sunt a providentia Dei speciali, & voluntate consequente.

33. Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem. Non sunt effectus predestinationis: eliciti, concedo: imperati, nego. Et concessa Minori, distinguo Consequens: Ergo vocaciones inefficaces non sunt effectus predestinationis: eliciti, concedo: imperati, nego. Unde:

Ad confirmationem dicendum est, vocaciones inefficaces, & auxilia insufficientia in electis, esse quasi elicite a providentia generali, & voluntate Dei antecedente, & a predestinatione imperativę: quia non eliciuntur a providentia generali, nisi ut subordinata predestinationi, & ex finis ejus efficaci intentione.

34. Obijci tertio: Non omnes vocaciones inefficaces in predestinatis conducunt ad gloriam, etiam mediate: Ergo omnes non sunt predestinationis effectus. Consequentia patet ex supra dictis, Antecedens vero probatur: quia omnes non afferuntur memorie, nec omnes paulatim leniunt cor hominis, nam contingere potest quod aliquis vitis longo tempore deditus, multoties interiori passatus, repente convertatur, & penitentiam agens, vel ad martirium raptus, statim moriatur, & consequatur gloriam: At in tali casu non omnes vocaciones occurrunt memorie, cum hoc in tam brevi tempore fit moraliter impossibile, nec ille dispotivie cor emolliendo, extraxerunt consensum: Ergo non omnes vocaciones inefficaces, aliquo ex predictis modis, ad suam predestinationis conducunt.

35. Propter hoc argumentum quidam Recentiores Thomistę conclusionem nostram restringendam existimant ad illas vocaciones que in memoriam redacte excitant ad predictos affectus. Magis tamen placet aliorum sententia, qui nostram conclusionem, propter verba Pauli superius relata, universaliter accipiendam esse contendunt. Unde in forma respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem, in primis dico, nullam dari vocacionem intentam, vel auxilium sufficiens, quod non producat in anima aliquem actum imperfectum, qui hominem excitet ac disponat ad perfectionem: ut docent celeberrimos Thomistę in Tract. de auxiliis, & colligunt ex verbis illis l. 55. *Verbum meum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quicquid volui, & prosperabitur in his, ad qua misit illud.* Quibus verbis significatur, vocacionem internam qua Deus animam alloquitur, nunquam ita esse sterilem & infocandam, quia semper aliquem fructum, saltem imperfectum, in anima producat. Ratio etiam id suadet: nam omnis vocatio interna, omneque auxilium sufficiens, excitat & movet animam, & sub genere auxiliil movens & excitans continetur: sed videtur impossibile quod anima excitetur formaliter, nisi per actum vitalem a se elicium, cum excitatio hęc vere fit vitalis. Similiter impossibile est, quod Deus actualiter moveat animam, & quod anima non moveatur actualiter, cum movens & motum dicatur correlative: Ergo omnis vocatio interna, & omne auxilium sufficiens, aliquem actum saltem imperfectum in anima producit. Sed quidquid fit de hac sententia.

36. Respondeo secundo, nullam dari vocacionem in predestinationis, que aliquo modo non conducatur ad finem predestinationis, saltem objective, excitando ad gratiarum

actionem: licet enim in hac vita, non omnes in memoriam revocentur, in patria tamen, per visionem in verbo, omnes suas vocaciones, five efficaces, five inefficaces, predestinati cognoscunt, & ex cognitione illarum ad gratiarum actionem excitantur.

Obijci ultimo: Nemo prudens ex intentione efficaci finis eligit & applicat media inefficacia & frustrabilia, preterquam si habeat in sua potestate media efficacia, & infrustrabilia: ergo cum Deus in infinitis suis omnipotentia thesauris habeat infinita media, & auxilia efficacissima, quibus potest electos suos ad vitam eternam perducere, incongruum videtur quod ex efficaci intentione beatitudinis, illis preparat & tribuat vocaciones aliquas inefficaces, & auxilia pure insufficientia, que debent frustrari suo effectu.

37. Respondeo distinguendo Antecedens: Si talia media nullam habent vim & efficaciam, neque in ordine ad effectum principalem, neque in ordine ad alios minus precipuos, concedo Antecedens. Si talia media habent vim & efficaciam in ordine ad aliquem effectum, qui ad alium perfectiorem, saltem mediate & dispositivo concurrat, nego Antecedens, & Consequentiam. Itaque non superflue, sed valde prudenter, Deus intendens efficaciter gloriam electis, dat aliqua media & auxilia inefficacia, & frustrabilia suo effectu. Id enim congruit, tum ut per illa media & auxilia (que, ut supra diximus, semper sunt effectiva secundum quid, & in ordine ad aliquem actum imperfectum quem in anima producant) paulatim emolliat cor hominis, illudque disponat ac preparat ad conversionem perfectam. Tum etiam ut homini ostendatur infirmitas sua, libertas, inconsistentia, & ingratitude, & ut sic magis ad interiora revocetur, & tandem reformetur.

ARTICULUS III.

An determinatio voluntatis ad actus supernaturales, seu actus supernaturales, prout a libero arbitrio exerunt, sunt predestinationis effectus.

38. Partem negantem tenet Molina hic art. 5. disp. 1. membro 10. ubi est actibus supernaturalibus tribuit quod sint effectus predestinationis, non tamen formaliter quatenus a libero arbitrio exerunt, & consequenter determinationem voluntatis ad bonum, seu bonum usum liberi arbitrii, ab effectibus predestinationis excludit.

39. Præcipuum ejus fundamentum est, quia existimat gratiam & liberum arbitrium, partialiter in actus supernaturalis influere, & se habere sicut duos homines, vel equos, eandem cibam vel curram trahentes: Sed effectus a duabus causis partialibus procedens, non est ab una, sup ea ratione & formalitate qua exit & procedit ab altera, ut patet in exemplo adducto tractionis navis. Ergo actus supernaturales, ut exerunt a libero arbitrio, non procedunt a gratia, nec consequenter sunt predestinationis effectus.

Præterea, quod actus supernaturalis sit liber & vitalis, a gratia non habet, sed a libero arbitrio: Ergo consideratus prout exit a libero arbitrio, non est effectus gratie, nec consequenter predestinationis. Utraque consequentia patet, Antecedens probatur. Quod actus supernaturalis sit liber & vitalis, debet habere a principio libero, & vitali: Sed gratia, cum non sit indifferens, sed unum actum determinate respiciat, non est libera, & cum veniat deorsum, & procedat a principio extrinseco, scilicet Deo, eam anima infundente, non est principium vitale: Ergo quod actus supernaturalis sit liber & vitalis, a gratia non habet, sed a libero arbitrio.

§. I.

Hęc sententia Molina rejicitur.

40. Dico tamen, determinationem nostre voluntatis ad bonum, seu bonum usum liberi arbitrii, ut tenet se ex parte nostra, esse predestinationis effectum. Ita communiter docent nostri Thomistę cum Angelico Præceptor hic art. 5. in corp. ubi ait: *Non est distinctum quod est ex libero arbitrio & ex predestinatione, sicut non est distinctum quod est ex causa secunda & causa prima.* Divina enim providentia producit effectus per operationes causarum secundarum, ut supra dictum est, unde & id quod est per liberum arbitrium, est ex predestinatione. Et q. 6. de verit. art. 2. ad 11. *Hoc ipsum (inquit) quod est velle accipere gratiam, est nobis ex predestinatione, unde non potest esse causa predestinationis.*

41. Probatur etiam conclusio ratione fundamentali, quam insinuat idem S. Doctor locis citatis. Id quod causatur a gratia est predestinationis effectus: Sed determinatio voluntatis ad bonum supernaturale, v. g. ad credendum, vel ad diligendum Deum super omnia, seu bonum liberi arbitrii usus in supernaturalibus, causatur a gratia: Ergo est predestinationis effectus. Major est evidens, quia predestinatio est causa gratie, ejusque preparatio, ut docet

ut docet Augustinus de predestinatione Sanctorum c. 10. his verbis: *Inter gratiam & predestinationem hoc tantum interest, quod predestinatio est gratie preparatio, gratia vero jam ipsa donatio: Ergo quod procedit & causatur a gratia est effectus predestinationis.* Nam ut communiter dicitur, quod est causa causæ, est causa causati: unde D. Thomas hic art. 5. *Manifestum est (inquit) quod id quod est gratia, est predestinationis effectus.*

42. Minor vero in qua est difficultas, probatur multipliciter. Primo ex Celestino primo in Epistola 1. ad Episcopos Gallicie, ubi definit, quod *nemo nisi per gratiam libero bene utatur arbitrio: Ergo bonus usus liberi arbitrii, a gratia procedit.* Unde Augustinus libro 1. Retract. cap. 9. circa finem sic habet: *Quia omnia bona, magna, & media, & infima, a Deo sunt, sequitur ut ex Deo sit & bonus usus libera voluntatis, qui in magna numeratur bonis.* Et super Psalm. 77. *Deus cooperatore sibi facit hominis spiritum in opere honorum factorum:* Et de corrupt. & gratia cap. 1. *Desiderare auxilium gratie, initium gratie est.* Idem colligitur ex D. Thoma hic art. 5. ubi reprehendit eos qui distinguunt inter id quod est ex gratia, & id quod est ex libero arbitrio, quasi non possit esse idem ex utroque.

43. Secundo probatur eadem Minor ex eodem Augustino Epist. 107. & lib. 1. contra duas Epist. Pelag. cap. 19. ubi docet quod *gratia facit hominem ex volentibus volentes, & ex repugnantibus consentientes.* Ex quibus verbis hoc deducitur argumentum. Bonus usus liberi arbitrii, & consensus ipse ad gratiam Dei, non potest procedere ex libero arbitrio ut volente ac repugnante, sic enim ab illo potius proveniret dissentium, quam consensus: fit ergo ex libero arbitrio ut volente & consentiente: Sed fieri ex nolente volentem, & ex repugnante consentientem, est effectus gratie & operationis divine, intrus in corde hominis operantis, inquit Augustinus locis citatis, & de gratia & libero arbitrio cap. 21. ubi sic habet: *Agit Deus omnipotens in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat quod res agere ipse voluerit.* Ergo bonus usus liberi arbitrii, & consensus ipse ad gratiam provenit ab ipsa gratia, intrus in corde hominis operante.

44. Confirmatur primo: Ex eodem Augustino Epist. 105. *Quod promittit Deus, non facit nisi Deus:* Sed Deus interdum promittit in scriptura consensum & determinationem nostre voluntatis, ut patet quando promittit Abrahamidem & conversionem gentium, in qua includitur consensus & determinatio liberi arbitrii: Ergo talem consensum & determinationem facit per gratiam intrus in corde hominis operantem, & consequenter secundum Augustini principia, negari non potest, bonum usum liberi arbitrii esse effectum gratie & operationis divine. De quo sane Tractatu precedenti disp. 5. art. 2.

45. Confirmatur secundo ex D. Thoma super Epist. ad Hebræos cap. 12. lect. 3. ubi ait: *Hec ipsum quod est non ponere obstaculum gratie, ex gratia procedit.* Unde si aliquis ponat, & tamen movetur cor ejus ad removendum illud, hoc est ex dono gratie. Deo voluntati per misericordiam. Sentit ergo aperte D. Thomas, quod quicquid ex parte liberi arbitrii fit tenet, etiam ipsum ponere obstaculum, & ipsum velle recipere gratiam, est effectus ipsius gratie.

46. Tertio probatur Minor principalis. Initium fidei, & justificationis exordium, provenit a gratia, ut definitur in Concilio Arancano 2. cau. 5. his verbis: *si quis initium fidei, ipsumque credituræ affectum, quo in eum credimus qui justificat ipsum, non per gratia donum, sed naturaliter inesse dicit, Apostolicis traditionibus contradicit.* Et in Tridentino sess. 6. cap. 5. assertur, *ipsam justificationis exordium in adultis, a Deo per Christum Jesum preveniente gratia sumendum esse.* Sed determinatio voluntatis ad credendum mysteriis revelatis, est initium fidei, ut enim docent Theologi in Tractatu de fide, fides incipit a fidei motione voluntatis, que determinat intellectum ad credendum mysteriis sibi propositis, ex quo inferunt, in Demonibus & damnatis non esse fidem, quia in illis non est ipsa illa motio & determinatio voluntatis, sed credunt inviti & coacti. Item liber consensus nostre voluntatis pertinet ad nostre justificationis exordium, nam ut dicitur in Tridentino citato: *Adulti gratia excitantur & adjuvantur libere assensumque & cooperando, ad justificationem disponuntur.* Ergo determinatio voluntatis ad bonum, seu bonus usus liberi arbitrii, a gratia preveniente procedit.

47. Dices cum Molina: Consensum & determinationem liberi arbitrii, seu actus supernaturales quibus homo libere consentit Deo vocanti & excitanti, & se determinat ad credendum, vel diligendum Deum super omnia, esse quidem effectus divine gratie, & ab illa causari, non tamen formaliter & reduplicative quatenus procedunt a libero arbitrio, partialiter in illos influente.

48. Sed contra primo: Deus per suam gratiam, non solum facit nobis suum operationem, sed etiam facit ut faciamus illam: juxta illud Ezechielis 36. *Faciemus ut in præceptis meis ambulatis.* Et juxta Augustinum libro de gratia & libero arbitrio cap. 15. ubi ait: *Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus, &c.* Ergo quod actus nostri

liberi eliciantur a nobis, seu a nostro libero arbitrio exeant, habetur a gratia faciente ut velimus, & consequenter actus supernaturales sunt effectus gratie, etiam prout a libero arbitrio procedunt.

Secundo, Gratia est adæquata virtus proxima agendi & influendi in actus supernaturales: ut enim ostendimus in Tractatu de visione beata, non datur in nobis potentia obediencialis proxime & immediate activa effectuum supernaturalium, sed tantum radicalis & remota: Atqui actus non potest sub aliqua ratione a principio remoto procedere, sub qua non causetur a proximo: Ergo actus supernaturalis, prout procedit a libero arbitrio, causatur a gratia.

Tertio, Ego admittimus gratiam non esse adæquatam virtutem proximam, negari tamen non potest esse adæquatam rationem elevandi & proportionandi liberum arbitrium actui supernaturali: At actus supernaturalis non procedit a libero arbitrio, nisi ut proportionato & elevato: Ergo sub nulla ratione procedit a libero arbitrio, sub qua non causetur a gratia.

Quarto, actus supernaturalis, prout exit a libero arbitrio procedit ab illo ut subordinato Deo: At non ut auctori naturali: Ergo ut supernaturalis, & consequenter causante mediante gratia actu supernaturali, & faciente ut exeat & emanet ab ipso libero arbitrio.

Denique, Deus, cum sit prima universalissima causa, attingit suos effectus secundum omnes modos & formalitates reales in eis inventas, & in ipsum ut in ultimam finem reducibiles, ut demonstrant Philosophi in Metaphysica, & docet D. Thom. 6. Metaph. lect. 3. & 1. Perihem. lect. 14. ubi ait: *Voluntas divina est intelligenda ut extra ordinem eorum existens, velut causa quædam profundius rebus eius, & omnes ejus differentias:* Sed actus supernaturales exire & progredi a libero arbitrio, est aliquis modus vel formalitas entis, ut per se patet, non enim est purum nihil, aut ens rationis: Ergo in Deum ut in primam causam recedi debet: Sed non in Deum ut Auctorem naturæ, ut supra dicebamus: Ergo in Deum ut gratie largitorem, & Auctorem supernaturali.

49. Potest insuper laudari conclusio alia ratione fundamentali. Quidquid ad salutem conducit, est effectus predestinationis: Sed bonus usus liberi arbitrii, etiam prout a nobis est, conducit ad salutem: Ergo est predestinationis effectus. Major patet, Minor probatur. Tum quia, ut supra dicebamus, determinatio voluntatis ad credendum mysteriis revelatis, & consensus quo Deo vocanti & excitanti libere assentimur, est initium fidei, & justificationis exordium. Tum etiam, quia id maxime conducit ad salutem & vitam æternam, quod conducit ad meritum: Sed bonus usus nostre voluntatis, etiam prout a nobis est, conducit ad meritum: nam ut docent Theologi in Tractatu de merito, conditio essentialiter requirit ad meritum est quod opus sit liberum & voluntarium: est autem liberum & voluntarium, quatenus exit a voluntate nostra: Ergo bonus usus liberi arbitrii, etiam prout est a nobis, conducit ad salutem. Item quod Deus a nobis exigit ut salvemur, ad salutem conducit: Sed ut salvemur, Deus a nobis exigit usum & cooperationem liberi arbitrii: ut enim ait Augustinus ferm. 15. *Qui facit se sine te, non te justificat sine te.* Ex Bernardus lib. de gratia & libero arbitrio: *Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur: tolle gratiam, non erit unde salvetur.* Opus sine duobus effecti non potest, uno a quo fit, altero in quo fit, &c. Ergo bonus usus, & cooperatio liberi arbitrii, etiam prout a nobis est, conducit ad salutem.

Hanc rationem tangit S. Thomas ad Rom. 9. lect. 3. his verbis: *Manifestum est quod omne Dei beneficium quod homini confert ad salutem, est divina predestinationis effectus, divinum autem beneficium non solum se extendit ad infusionem gratie qua homo justificatur, sed etiam ad gratia usum: sicut etiam in rebus naturalibus non solum causat formas in rebus, sed etiam ipsos motus & operationes formarum, eo quod Deus est principium omnis motus, cujus operatione cessante a movendo, ex formis nullus motus vel operatio sequitur.*

§. II.

Molina fundamenta convelluntur.

50. Ex dictis §. precedenti facile convelli possunt duo præcipua Molinae fundamenta, initio articuli proposita. Ad primum enim, nego Majorem: quod scilicet gratia & liberum arbitrium ad actus supernaturales partialiter concurrant, & se habeant sicut duo homines vel equi, eandem cibam & curram trahentes. Virtus enim adæquata proxima, & causa cujus est virtus, non dicuntur causæ partiales: gratia autem & liberum arbitrium sic comparantur, quod illa est adæquata virtus proxima, & liberum arbitrium ratione sui gaudet tantum virtute remota & radicali: Ergo non concurrunt partialiter. Unde D. Thom. 3. contra Gent. cap. 7. *Non sic idem effectus causa naturalis & Divina videntur attribuitur, quasi partim a Deo & partim a naturali agente fiat, sed totus attribuitur instrumento,*

principali agens etiam totus. Et opus. i. c. 23. expresse negat Deum concurrere cum creatura ad operandum, eo modo quo duo homines vel equi concurrunt ad tractionem ejusdem navis vel currus. Idem tradit D. Augustinus variis in locis qua fufe expendimus Tract. preced. disp. 5. art. 2. §. 2. in quibus docet, non ita tribui Deo operationes nostras, ut pars debeat tribui Deo, & pars nobis, sed totum Deo, quia ut dicebat Cyprianus: *In nullo gloriantur est, cum uferum nihil sit, idque probat ex illis verbis Apostoli: Nec est uoluntas, neque curruentis, sed miserentis Dei: Non quia (inquit) uelle non debemus & currere, sed quia ipse in nobis & uelle operatur & currere.* Et addit: *Hoc nobis expedit, & credere, & dicere, ut humilis & submissa confesse, et de tua totum oro.* Videri etiam potest D. Bernardus lib. de gratia & libero arbitrio, ubi eandem ueritatem eleganter exprimit, his uerbis: *Quod a sola gratia capium est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtum non sigillatim, ut simul non uicissim, sed singulis profectus operentur, non partim gratia, partim libero arbitrio, sed totum singula opere indiciuam persequat, totum quidem hoc, & totum illa, sed ut totum in illo, sic totum ex illa.*

56 Ad secundum fundamentum Molinæ, respondeo distinguendo Antecedens. Quod actus supernaturalis sit liber, a gratia non habet, ut a potentia, concedo Antecedens. Ut a uirtute potentie, vel ejus applicatione, nego Antecedens, & consequentiam. Ad cuius probationem dico, quod licet gratia auxilians non sit libera ut quod, est tamen libera ut quo, uoluntate quodammodo a primo libero, & quadam participatio libertatis diuina. Illa etiam est uitalis ut quo, quia est uis quodammodo ordinata ad eleuandum hominem ad uitam supernaturalem ac diuinam participatiue. Sicut semen, quamuis non sit animatum nec uiuens ut quod, potest tamen dici uiuens ut quo, quia est uis quodammodo instrumentaria, ordinata a natura ad generationem uiuentis. Nec obstat quod gratia ueniat de foris, & a Deo infundatur, quia Deus est primus uiuens, & ueluti fontale totius uite principium: iuxta illud Prophete: *Quoniam apud te est fons uite, & id: In quo uiuimus, & mouemur & sumus, ut dicitur Acto. 17. Unde proprie non reputatur tanquam agens extrinsecum, respectu hominis, sed inter causas illius internas computatur, ut eruditè expendit S. Thomas 2. contra Gentes cap. 88. ubi legendus est.*

57 Infallis: Principium liberum ut quo, debet esse indifferens ut quod ad utrumque extremum libertatis: uerbi grat. ad amorem & odium, uel negationem amoris, & utrumque equaliter ac indifferenter respicere: Sed gratia auxilians, & mouens ad actum amoris uerbi gratia, non est indifferens ad utrumque extremum libertatis, nec equaliter & indifferenter respicit amorem & odium, uel negationem amoris, sed determinate respicit amorem, & cum eo habet indissolubile nexum: Ergo nude est libera ut quo.

58 Respondeo distinguendo Majorem: Principium liberum ut quo, per modum potentie, debet esse indifferens ut quo & c. concedo Majorem: principium liberum ut quo, per modum uirtutis, uel applicationis potentie, nego Majorem, & concessa Minor, distinguendum est Consequens, distinctione Majoris. Traque ut aliquid sit liberum per modum potentie, uel ut alii dicunt, libertate potentia, debet utrumque contrarietatis, uel contradictionis extremum equaliter respicere. Ut autem sit liberum per modum uirtutis, uel applicationis potentie, seu libertate actuali: & per modum principii actualis ipsius operationis (qua solum libertate gaudet gratia mouens & auxilians, iuxta ueriores Thomistar. sent.) sufficit quod ita applicet uoluntatem ad unum extremum, ut in ea relinquat vires & potentiam ad oppositum.

ARTICULUS VI.

An substantia predestinati sit sua predestinationis effectus?

§. I.

Quibusdam promissis conclusio affirmatiua statuitur.

59 **U**T status difficultatis aperitur, & certa ab incertis separentur, supponendum est primo, substantiam predestinati secundum se inspectam intra limites pure nature, non esse predestinationis effectum; quia effectum predestinationis, finem ejus respicere debent: substantia autem predestinati in predicta consideratione, finem predestinationis non respicit, sed coaduate silit intra limites & finem nature. Ad id quod effectus predestinationis non est indifferens ad finem reprobationis: Atqui substantia predestinati, intra limites pure nature considerata, indifferens est ut predestinetur aut reprobetur: Ergo sub hac consideratione effectus predestinationis esse non potest.

60 Supponendum secundo, illam non esse effectum predestinationis proximum & elicium. Tum quia effectus elicitus predestinationis debet esse supernaturalis ratione sui, sicut actus elicitus a uirtute supernaturali, non potest non esse ratione sui supernaturalis: substantia autem predestinati, ra-

tione sui supernaturalis non est. Tum etiam, quia est effectus elicitus providentia naturalis: Ergo a supernaturali, qualis est predestinatio, elicitive non potest procedere: Unde solum diffinitus est, an imperatiue saltem ab illa procedat: quod ut magis declaretur,

Supponendum est tertio dupliciter aliquid esse posse effectum predestinationis imperatum. Primo quoad ordinationem supponentem existentiam rei ordinata. Secundo quoad existentiam, ita ut prima rei productio imperetur ex intentione finis predestinati: certum est igitur, substantiam predestinati esse saltem primo modo predestinationis effectum, quia per predestinationem ordinatur ad gloriam, & ad illam transmittitur. Unde dubitatur solum de secundo modo imperii, an scilicet substantia predestinati, est ex vi alterius providentia, quasi elicitive ad finem naturalem ordinetur, & in re producatur, non tamen procedat ab illa independentè a predestinatione; sed ut subordinata illi tanquam imperanti, eo modo quo actus aliarum uirtutum ab illis eliciti, a caritate procedunt, ut imperante illorum productionem. Pro resolutione

Dico substantiam predestinati esse effectum predestinationis in sensu explicato: Ita communiter docent Thomista, paucis exceptis, qui existimant substantiam predestinati esse tantum subiectum quod predestinatur, non uero ipsius predestinationis effectum.

62 Probat primo ex Aug. Ep. 105. ubi explicans illud Apostoli ad Rom. 5. *Ut secundum electionem prepositum Dei maneret. Secundum electionem (inquit) qua eligendos facit ipse, non inuenit.* Ergo juxta Augustinum, electio ad gloriam causa est substantia eligendorum, & consequenter substantia predestinati est predestinationis effectus: omne enim quod ab electione in ordine intentionis causatur, est in executione effectus predestinationis.

63 Probat secundo ex D. Thom. in 1. dist. 41. q. 1. art. 4. ubi inquit: *Omnis causa cuius operatione interveniente completur effectus predestinationis, dicitur predestinationem iurare, uel per modum causæ meritoria, uel persuadendo ad bonum, uel per modum dispositionis, uel etiam naturali operatione, sicut motus calis, & omnes causæ naturales, iurant predestinationem, in quantum eorum officio perficitur generatio & sustentatio electorum.* Ex quibus uerbis hoc argumentum desumitur. Eatenus aliqua causa, siue moralis, siue naturalis dicitur predestinationem iurare, quatenus eius operatione perficitur effectus predestinationis: At motus calis iurat predestinationem, quatenus illo perficitur electorum generatio: Ergo hæc est predestinationis effectus, & consequenter electorum substantia que per illam produciuntur.

64 Tertio probatur ex eodem S. Doctore hic art. 8. ubi in argumento *sed contra*, probat predestinationem precibus Sanctorum iuari, ex illo Genesis 25. ubi dicitur quod Isaac rogauit Dominum pro Rebecca uxore sua, & dedit concepit Rebecca; ex quo conceptu natus est Jacob: At si substantia Jacob predestinati, non esset predestinationis effectus, argumentum D. Thomæ non uinceret: Ergo juxta D. Thomam substantia predestinati est predestinationis effectus. Probat Minor. Predestinationem precibus Sanctorum iuari, est illius effectus precibus sanctorum obtineri: Ergo ex eo quod uoluntas Jacob obtenta fuerit precibus Isaac, non colligitur, predestinationem Jacob, precibus Isaac iuari, nisi ejus uoluntas sit predestinationis effectus.

65 Probat quarto ratione quam indicat idem Angelicus Doctor in corpore ejusdem articuli, his uerbis: *Ita predestinatur a Deo salus aditus, ut etiam sub ordine predestinationis cadat quicquid hominem promouet in salutem, uel orationes propria, uel quicquid hujusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur.* At substantia predestinati talis est, ut sine illa predestinatus salutem non consequatur: Ergo cadit sub ordine predestinationis, & consequenter est illius effectus.

66 Confirmatur, & magis illustratur hæc ratio. Quidquid aliquo modo ad predestinationem conducit, si fiat ex intentione gloriæ, est effectus predestinationis: At substantia predestinati ad predestinationem conducit, & alius fit ex intentione gloriæ: Ergo est predestinationis effectus. Minor quantum ad secundam partem patet ex infra dicendis: probatur uero quantum ad primam. Nam substantia predestinati est causa efficiens actuum quibus homo iustificatur, & promeretur gloriam: est etiam causa efficiens ipsius gloriæ, & uisionis beatificæ, quam producit mediantè intellectu, per lumen gloriæ elevato: Illa etiam potest esse motiua, per modum objecti, gratiarum actionis, procreationis & conseruationis beneficio: Ergo substantia predestinati ad predestinationem conducit.

67 Dices. Ad hoc ut aliquid sit effectus predestinationis, non sufficere quod ad illius finem, scilicet gloriam, quocumque modo conducatur, sed insuper requiri quod ad illam ordinetur, ut medium ad finem: At substantia predestinati non ordinatur ad gloriam, ut medium ad finem, sed solum ut subiectum ad formam accidentalem quam recipit, & qua perficitur: Ergo non est predestinationis effectus. Minor patet.

patet. Major probatur. Predestinatio uel in electione consistit, uel saltem illam supponit: At electio non nisi circa media versatur, sicut intentio solum est respectu finis: Ergo ut aliquid sit effectus predestinationis, requiritur quod ad illam ut medium ad finem ordinetur. Unde, ut supra diximus, licet merita Christi ad nostram predestinationem, eisque finem conducant, quia tamen ad eam non comparantur ut media ad finem, effectus illius non sunt.

68 Sed facile responderetur, distinguendo Majorem. Ut aliquid sit effectus predestinationis, elicitus, & immediatus, requiritur quod ad illam ordinetur ut medium ad finem, concedo Majorem: Ut sit effectus illius imperatus & remotus, nego Majorem. Ad cuius probationem dicendum est, quod electio dupliciter potest aliquid attingere: uno modo immediate, & quasi elicitive, & sic solum potest erga media proprie dicta ueritari. Alio modo mediate & imperatiue, sique potest attingere omne quod ad media que sunt illius obiectum quouis modo concurrat. Unde quia substantia predestinati habet concursus iam explicatos, ad dona gratiæ & gloriæ, que sunt effectus eliciti predestinationis & electionis, consequens fit quod ab electione & predestinatione attingatur mediate & imperatiue: quod non potest competere meritis Christi, quia cum illa (ut supra annotauimus) ad ordinem hypostaticum pertineant, & totum ordinem gratiæ & gloriæ, omnemque hominum & Angelorum predestinationem in infinitum excedant, ab illa imperari non possunt.

69 Denique probari potest conclusio, evertendo præcipuum Adversariorum fundamentum. Non repugnat ab intrinseco quod substantia predestinati fiat ex intentione gloriæ, & alius sic fieri congruit intentioni predestinationis: Ergo de facto substantia predestinati fit ex intentione gloriæ & consequenter est predestinationis effectus. Consequentia patet, Antecedens quantum ad primam partem fadatur primo: Ex vi decreti ordinantis Christum ad esse filium naturalem Dei, fuit factus Christus ut homo, quia prout sic est subiectum factæ predestinationis. Ex vi etiam decreti ordinantis hominem ad finem naturalem, scilicet naturalem beatitudinem, potest fieri homo, si conderetur in pura natura: Ergo ex vi decreti efficaciter ordinantis ad gloriam, potest fieri, saltem imperatiue, substantia subiecti ad gloriam ordinati.

70 Secundo probatur eadem pars. Si aliqua repugnantia in hoc esset, maxime quia substantia predestinati ut sic subiectum gloriæ debet ad illius intentionem supponi, & consequenter ex vi talis intentionis non potest fieri: At hæc ratio nulla est: Ergo & c. Major est præcipuum fundamentum aduersæ sententiæ: Minor uero probatur tripliciter. In primis enim id quod est prius in genere causæ materialis, potest esse posterius in genere causæ finalis: Ergo est substantia predestinati sit subiectum gloriæ, & consequenter prior illa in genere causæ materialis, potest ab illa in genere causæ finalis causari, ac proinde ex intentione ad gloriam imperatiue procedere.

Secundo, Substantia genita potest esse generationis subiectum, & causam a generatione efficientem. Substantia etiam creata est subiectum creationis acceptæ passiuæ, & ab illa causatur: Ergo substantia predestinati sit subiectum predestinationis, poterit ab illa imperatiue procedere.

Tercio, Licet potentia uitalis sit principium effectiuum & receptiuum sui actus, potest fieri ex intentione illius: Ergo patitur, licet substantia predestinati sit subiectum gloriæ, quam respicit predestinatio ut finem, poterit ex illius intentione procedere. Quorum omnium ratio est, quia non repugnat mutua inter duo causalitas in diuerso genere causæ, qualiter inter electionem ad gloriam, & substantiam predestinati debet intervenire, ut ex intentione gloriæ procedat.

71 Dices: substantiam predestinati non solum esse subiectum gloriæ, sed etiam finem cui Deus gloriam intendit, & ideo non posse imperari ex intentione eius.

Sed contra primo: Christus, etiam ut homo, est finis cui Deus uult filiationem naturalem, & tamen fit ex eisdem decreti quod filiatione intenditur: Ergo ex eo quod substantia predestinati sit finis cui Deus gloriam intendit, non repugnat ex intentione gloriæ imperari.

Secundo, finis cui, & finis cuius gratia distinguuntur, & se inuicem præcedunt in diuerso genere causæ. Nam sanitas uerbi gratia, quam medicus appetit aggro, est prior illo in genere causæ finalis, & in ratione finis cui, uel cuius gratia: ipse uero ager cui desideratur, eam præcedit in genere causæ materialis, & in ratione finis cui. Item Christus, cum sit finis totius ordinis nature, & gratia, ut dicitur Eccl. 24. *Primo genitus ante omnem creaturam, est prior genere humano in ratione finis qui: ipsum uero genus humanum ut redimendum, & consequenter ordo nature, Christum præcedit, in genere causæ materialis, & in ratione finis cui, ut explicari solet in Tractatu de Incarnatione: Ergo non obstat quod substantia predestinati sit finis cui respectu gloriæ, poterit ab illa ut sine cuius causari, & consequenter ex illius intentione procedere.*

Theol. Genet. Tom. II.

Quod autem hoc ualde congruum sit, patet: Tum quia id 73 ostendit maximum amorem Dei erga electos, & curam specialem quam habet de illis. Tum etiam, quia Deus in beatitudine supernaturali electorum, que est finis predestinationis, intime reperitur unius in ratione speciei intelligibilis. Ut ostendimus in Tractatu de uisione beatifica disp. 2. art. 3. Ergo congruum est ut substantia electorum, & omnia entia naturalia, ad illam ut ad finem ordinentur, & ex eius intentione producantur. Probat Consequentia: nam congruum est, ut ubicumque Deus reperitur unius secundum suam substantiam, exerceat rationem ultimi finis. Sic quia specialiter unius humanitati Christi, ipsa Christi humanitas, & totum uniuersum, sunt propter Christum. Item quia speciali modo est presens in Eucharistia, propter unionem cum humanitate Christi, Eucharistia est finis omnium aliorum sacramentorum. Denique, quia est specialiter in anima iusti per gratiam, omnes alie creature sunt propter iustos: Ergo quia supernaturalis beatitudo includit Deum ut unum intellectus beato in ratione speciei intelligibilis, oportet ipsam beatorum substantiam, & omnia entia naturalia, ad illam ut finem ordinari, & ex eius intentione imperatiue procedere.

§. II.

Soluntur objectiones.

73 **O**bjicies primo: Apostolus ad Rom. 8. exponens effectus diuina predestinationis, primo loco recenset uocationem, dicens: *Quos predestinauit, hos & uocauit.* At si substantia predestinati esset substantia predestinati, debuisset incipere ab ipso esse substantia predestinati, & non ab eius uocatione: Ergo ex Apostolo substantia predestinati non est predestinationis effectus.

74 Confirmatur ex D. Thom. ibid. lect. 6. ubi explicans præfata uerba Apostoli, sic ait: *Primum autem in quo incipit predestinatio impleri, est uocatio hominis, que quidem est duplex: una exterior, que fit ore prædicantis, & alia interior, que nihil aliud est quam quidam mentis instinctus quo cor hominis mouetur a Deo, ad assentiendum his que sunt fidei uel ueritatis.* At si substantia predestinati esset effectus predestinationis, non inciperet predestinatio in uocatione impleri, sed potius inciperet in substantia productione: Ergo illa non est predestinationis effectus.

75 Confirmatur amplius ex eodem S. Doctore super cap. 1. eisdem Epistola lect. 3. ubi postquam asseruit: *Predestinare nihil aliud esse quam ante in corde disponere quid sit de aliquo re faciendum, hæc uerba subiunxit: Potest tamen aliquis de futuro re seu operatione disponere: uno modo quantum ad ipsam rei configurationem, sicut artifex disponit qualiter debeat facere domum. Secundo modo quantum ad ipsam usum uel gubernationem rei, & ad hæc secundam prædispositionem pertinet predestinatio, non ad primam: id enim quod aliquis uoluit, referitur in finem: sed cum res in se ipsa constituitur, non dirigitur ex hoc ipso in aliud, unde prædispositio constitutionis rei, proprie predestinatio dici non potest.* Ex paucis interpositis ait: *Relinquitur ergo quod predestinatio dicatur proprie eorum solum que sunt supra naturam.* At generatione substantia predestinati, pertinet ad rei constitutionem, & supra naturam non est. Ergo non est proprie predestinationis effectus.

76 Resp. ad objectionem negando sequelam Minoris. Quia Apostolus ibi effectus predestinationis imperatos & improporionatos, qualis est ipsius predestinati substantia, non recenset, sed tantum elicitos & proportionatos, seu proxime ad beatitudinem conducentes, inter quos uocatio est prior, saltem ordine executionis, & idcirco ab illa incipit. Ex quo patet responso ad primam confirmationem desumptam ex auctoritate D. Thom. Ibi enim S. Doctor solum intendit quod uocatio est primum in quo incipit predestinatio impleri, uel inter effectus elicitos improporionatos, uel inter ea que per se requiruntur ad predestinationem, ut proprie media, non uero absolute: substantia autem predestinati, non est effectus predestinationis, ut medium, sed ut subiectum.

77 Ad secundam confirmationem, dicitur generationem substantia & prædispositionem, considerari posse dupliciter. Vel præcisè in ordine ad agens, uel prout ad finem dirigitur. Primo modo prædispositio illius non est predestinatio, sed ars, ut docuit D. Thom. q. 5. de uerit. art. 1. ad 9. Secundo modo, si dirigat ad finem naturalem, est predestinatio naturalis, si ad supernaturalem est predestinatio supernaturalis generalis, si ad supernaturalem efficaciter, est predestinatio. Et consequenter substantia predestinati, ut subest primo ordini ad finem, est effectus providentia naturalis: ut subest secundo, est effectus providentia generalis: ut subest tertio, est effectus predestinationis. Quando autem ait D. Thomas predestinationem proprie esse solum eorum que excedunt facultatem nature, uel intelligendus est de effectibus elicitis, uel si de imperatiue, de excessu quoad ordinem, non quoad substantiam.

